

distinguitur a prima ejus productione, quæ non cadit sub merito, ut probatum est supra.

*Probatur*<sup>1</sup> 2°. Omne quod quis meretur de condigno, illud a Deo obtinet infallibiliter, nisi impediatur per peccatum. Si ergo perseverantia caderet sub merito, cum vix ullus justus sit qui non habeat opera meritoria, vix ullus esset qui non haberet donum perseverantiæ, contra illud *Matth.*, xx, 16 : *Multi vocati, pauci electi.*

*Probatur* 3°. Ad meritum de condigno requiritur promissio Dei, seu pactum reddendi mercedem pro opere. Atqui Deus nullibi promisit perseverantiam bene operantibus, quin e contra clamat Scriptura, etiam justos debere cum metu et tremore operari suam salutem, *Philipp.*, II, 12, et eum qui stat debere esse sollicitum ne cadat, *I Cor.*, x, 12. Ergo.

Restat ergo donum perseverantiæ cadere sub merito de congruo tantum. Quidam dicunt de congruo proprie, alii de congruo late sumpto pro impetratione ex liberalitate et benignitate Dei.

1. *Ibid.*, in arg. *Sed contra.*

## APPENDIX

AD DISSERTATIONES DE SCIENTIA MEDIA, DE GRATUITA  
PRÆDESTINATIONE ET DE GRATIA PER SE EFFICACI.

Cum integrum tractatum super hac materia limites nobis præscripti non patiantur, ea solummodo adjungere nobis licebit, quæ in argumentis recentiorum Molinistarum solvendis a Billuartio omissa videri possent. Dicemus itaque 1° de quibusdam factis ad historiam pertinentibus, 2° de scientia media, 3° de gratuita prædestinatione, 4° demum de præmotione physica.

### I. — DE QUIBUSDAM FACTIS HISTORICIS

1° *De Cardinalium congressu habito coram Paulo V, die 28 aug. 1607*<sup>1</sup>.

Refertur repertum fuisse Pauli V autographum quoddam, in quo narratur, e novem congregatis Cardinalibus tres, scilicet Pinellum, de Bubalis et S. Eusebii, non aperuisse sensum suum super re controversa; quatuor autem, scilicet Asculanum, de Giuri, Bianchettum et Arri-gonium, pro Dominicanorum parte stetisse; duos demum, scilicet Bellarminum et Perronium, affirmasse opinionem prædeterminationis physicæ esse Calvinæ et Lutheri, et damnatam fuisse a conc. Trid. his verbis, sess. vi, cap. 5 : « Homo potest abjicere gratiam. » Quibus auditis, Paulus V ita pronuntiavit : « In gratia Domini definitum a concilio necessarium esse quod liberum arbitrium moveatur a Deo; difficultatem in hoc verti, an moveat physice vel moraliter... Sententiam Prædicatorum plurimum differre

1. Cfr. quæ de hoc congressu jam dicta sunt in trat. *de Deo*, dissert. VI, cap. 6, § 6.

a Calvino; — dicunt enim Prædicatores, gratiam non destruere, sed perficere liberum arbitrium, et eam vim habere ut homo operetur juxta suum modum, id est libere; — Jesuitas autem discrepare a Pelagianis, qui initium salutis posuerunt fieri a nobis; illi vero tenent omnino contrarium. Necessitate igitur nulla urgente ut ad definitionem veniamus, posse negotium differri, dum melius consilium tempus afferat. . . . » Cum autem Carol. Pinellus et Bellarminus sensissent « bullam edi posse, qua certæ quædam propositiones, de quibus inter utrosque constet, condemnentur, » addit Pontifex, « propositionem illam, ut constitutio ederetur, qua declararentur ea quæ extra controversiam essent, non placere, quia nec necessaria sit et cavillandi occasionem afferat hæreticis. » Non multo post concilium hoc, Paulus V rescriptum dedit, quo Congregationes terminatæ sunt<sup>1</sup>.

Aliud autem autographum repertum est, in quo notantur ea quæ regis Hispaniæ legato ipse Pontifex hac de causa dixit, vel certe dicturus fuit: « Rem dilatam esse ob tres rationes: Primam esse, ut res quam certissime constet, et quod tempus docere et verum ostendere soleat. Secundam, quod utraque pars congruat cum veritatis catholice capitibus, doceatque Deum gratiæ suæ efficacia nos ad agendum excitare et facere de nolentibus volentes, et flectere et immutare hominum voluntates, de quo in hac causa agitur; discrepent autem explicandi modo, cum Prædicatores dicant eum prædeterminare voluntates nostras physice, hoc est realiter et efficienter, contra Jesuitæ teneant facere congrue et moraliter: quarum utraque sententia potest defendi. Tertiam esse, quod his temporibus. . . plurimi intersit, nos existimationem fidemque utriusque religionis tueri ac defendere. . . . Sequendam esse doctrinam conc. Trid., sess. vi, cap. 5: liberum arbitrium motum esse, excitatum, adjutum gratia divina, et posse libere assentire et dissentire; tactam esse a con-

1. Cfr. Gerard. Schneemann, S. J. *Controversiarum de divina gratiæ liberique arbitrii concordia*, pag. 287 seqq.

cilii Patribus quæstionem de modo motionis divinæ, sed tamquam inutilem et supervacaneam prætermisam<sup>1</sup>. . . . »

Ex his perspicuum est: 1<sup>o</sup> ipsum Pontificem vindicasse opinionem præmotionis physice a Bellarmini et Perronii calumnia, qui naturam hujus motionis haud intellexisse videntur; 2<sup>o</sup> eam Jesuitarum doctrinam ab eodem Pontifice catholicam judicatam fuisse, quæ docet Deum « gratiæ suæ efficacia nos ad agendum excitare, et facere de volentibus volentes, et flectere et immutare hominum voluntates. » Quæ quidem doctrina non est pure Moliniana, sed Congruistarum sententiam exprimit. Quod ut magis appareat, dicendum est

2<sup>o</sup> *De famoso Cl. Aquavivæ, Soc. Jesu Generali Præposito, decreto.*

A Societatis Jesu Præposito Generali obtinuit Bellarminus ut hæc decerneret: « Cum . . . ad bonam Societatis apud externos existimationem plurimum referat, in rebus præsertim gravioribus, nostris quantum fieri potest occasiones præscindere novas subinde opiniones excogitandi, . . . visum est nobis serio statuendum graviterque mandandum. . . ut, in tradenda divinæ gratiæ efficacia, nostri eam opinionem sequantur, quæ a plerisque Societatis nostræ scriptoribus tradita, ac in controversiis de auxiliis divinæ gratiæ, tamquam magis consentanea SS. Augustino et Thomæ, gravissimorum Patrum judicio, explicata et defensa est. Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam quæ effectum reipsa habet atque efficax dicitur, et eam quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; sed in ipso actu primo, quod, posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria

1. Ibid., pag. 295.

ipse ea media seligit, atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper, moraliter et in ratione beneficii, plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri; atque hæc ratione efficere Deum ut reipsa faciamus, non tantum quia dat gratiam qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia. »

Cujus Præpositi verbis extra controversiam constituitur :  
1° quem efficaciam modum Jesuitæ gratiæ tribuerint ac defenderint coram congregationibus, proindeque de quam Jesuitarum opinione Paulus V scripserit; 2° eum modum non esse quem docet Molina, sed eum qui Congruistarum peculiaris est. Nam adversus nonnullos volentes Molinismum et Congruismum confundere, multis tamen jure meritoque reclamantibus, ita loquitur recens author Molinianus operis *Bannez et Molina*<sup>1</sup>, pag. 127 et seqq. : « In vanum laborant qui Molinam et Suarezium eadem docuisse ostendere conantur... Constat post hoc decretum non amplius apud nos receptum ac traditum fuisse purum Molinismum, sed ubique, nostris in scholis, Congruismum regnasse, opinionem quidem intricatam, in medio Molinismi et Thomismi positam, priori consentientem in libero arbitrio salvando, alteri cedentem in absoluta ratione omnis actus boni prædestinationisque ad gloriam assignanda in decreto antecedenti. »

Quæ cum ita sint, manifestum est jus non habere puros Molinistas ad Pauli V autographa rescriptumque appellandi; nam per hæc solus utique Congruismus, Aquaviva teste, doctrinæ catholicæ non contrarius dictus est, et SS. Augustino et Thomæ magis consentaneus gravissimis Societatis Patribus visus est. Quid igitur de Molinæ doctrina? nonne derelicta fuit? nonne igitur profligata? Nonne fortassis molinianæ erant propositiones istæ, quas apostolica constitutione damnari posse ipse Bellarminus in concilio 28 aug. 1607 opinatus est?

1. Parisiis, Oudin, 1883.

3° De disputatione in concilio Tridentino habita  
super physica præmotione.

Circumfertur quosdam in conc. Trid. theologos, in aliquo congressu ad sess. vi prævio, quæstionem movisse de præmotione physica, eosque a cæteris Patribus et theologis repulsam passos esse, vehementerque impugnatos ab illustr. fratre Dominico Soto, Ordinis Prædicatorum. Unde apparet, physicæ præmotionis opinionem a concilii Patribus reprobata fuisse.

Ipse autem Dominicus Soto, in suo libro *de Natura et Gratia* quem, Patribus Tridentinis petentibus, adversus Lutheranos et Calvinistas scripsit, sic loquitur<sup>1</sup> : « Lutherani contra regnum liberi arbitrii comœdias ludunt, quibus docent « sicut inanime organum aut brutum pecus, » sic hominem se habere, dum justificatur. Quin etiam sunt inter catholicos quos viva voce dogma hoc asserentes, nobisque reclamantibus, defensantes audivimus, puta quod Deus quadam nos vi et necessitate ad se pertrahat, ita ut in nostra conversione nos mere habeamus *passive et receptive*. De quo idcirco sacra synodus sess. vi pronuntiavit. » Ex his, meo judicio, evidentissimum est quid sentiendum sit de fabula adversus thomistas maligne vulgata. Docent enim thomistæ, liberum arbitrium a Deo motum *non mere passive* se habere, *sed vere et proprie agere*.

Ut autem appareat quanta sit hæc calumnia, breviter referam quid ipse Dominicus Soto alicui moliniano in thomistas argumento respondeat. Interfuit enim ille congressibus præviis et sessioni vi; noverat igitur apprime quem sensum Patres exprimere definireque voluerint. Hæc habet<sup>2</sup> : « Eodem pacto diluitur argumentum quo Lutherani velut Achille passim utuntur. Si, quando Deus vel ad bonum vel ad malum nos movet, in nostra esset potestate non moveri, motio Dei non esset efficax, atque adeo usque non esset omnipotens. Quo argumento persua-

1. Lib. I, cap. 15. — 2. Lib. I, cap. 16.

dent sibi, quoties nos Deus movet, necessitatem nobis inferre. Illatio sua tamen nullius est vigoris. (Advertas Soto non negare quidem principium, scilicet quod Deus nos moveat efficaciter, sed tantum illationem Lutheranorum. Ita thomistæ; contra moliniani.) Quod enim nos Deus libere moveat, nihil contra ejus omnipotentiam et efficaciam pugnat; quinimo inde amplissime patet infinita ejus virtus et sapientia, quod alias causas instituit naturaliter movere, et alias libere, et cum singulis modo proprio concurrere... (En ipsissima thomistarum expositio.) At restat nonnihil præterea explicandum. Aut enim sumus liberi in hujusmodi actionibus ante momentum temporis quo nos Deus movet, aut præsentem motionem Dei: non ante, quia absque eo movente moveri nequimus; neque cum nos actu movet, quia non stat ipsum nos movere, quin una moveamur: sunt enim movere et moveri, ceu actio et passio, correlativa. » Nonne hic est Achilles molinianus contra præmotionem thomistarum? Attendatur ergo ad Dominici Soto, theologi illustrissimi tridentini, responsionem: « Non est dubium, inquit, quin concursus Dei, licet concomitetur, ut aiunt, actionem, sit nihilominus cuicumque causæ secundæ requisitus ad agendum, imo vero et natura prærequisitus, quoniam non solum Deus est causa effectus causæ secundæ, verum ipse etiam movet eam ad agendum. (Nonne hæc est præmotio physica thomistarum? motio physica, causæ intrinseca, natura prior actione, juxta illud S. Thomæ<sup>1</sup>: « Motio moventis præcedit motum mobilis ratione et causa. ») At, quamvis ille concursus sit prærequisitus, nihilo secius, illo posito, etiam est in facultate voluntatis agere et cessare.... Solutio ergo dubitationis est, quod illo tunc temporis momento quo Deus mecum concurrat, sum liber ut tunc agere renuam. Etenim, dum libere moveat, possum in sensu diviso non agere, et tunc cessabit concursus Dei; tametsi in sensu composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, et me non agere. » Nonne hæc est famosissima tho-

1. III *Contra gentes*, cap. 149.

mistarum distinctio? Estne Calviniana, an potius Tridentina, si Dominicus Soto concilii Tridentini mentem penetraverit?

Unum rogo, ut attente legantur in *Catechismo* Tridentino<sup>1</sup> ea quæ de divino concursu dicuntur, considerenturque utrum « intima illa virtus et occultissima vis, qua Deus, causarum secundarum efficientiam præveniando, ad actionem eas compellit, thomistica sit, an moliniana. Nonne est motio physica, omnibus causis secundis ad agendum necessaria, eis intrinseca, ad earum efficientiam prærequisita? Est igitur vera præmotio physica. Erantne moliniani Patres, an Thomistici?

<sup>4o</sup> De novissimo quodam argumento, quo thomistæ contra S. Thomam stare insimulantur.

Molinianus author operis *Bannez et Molina* arguit sic<sup>2</sup>: « Quando alicui magno philosopho doctrina adscribitur, ex qua sequitur aliquid quod videtur impossibile, semper existimandum est ab illo eam visam fuisse difficultatem, atque directe propositam solutamque. Porro nullibi S. Thomæ operum legitur explicite enormis thomistarum difficultas in salvanda hominis libertate; eam ne suspicatus quidem est Thomas. Ergo illa non existit in vere thomistica de divino concursu doctrina. Ergo alia est omnino S. Thomæ doctrina ac quæ ei adscribitur. » Quid plura? — Respondeo majorem concedi libentissime; sed loco minoris assumptæ, hæc e contra ponenda est: Porro ubicumque S. Thomas disserit de Dei scientia, vel voluntate, vel providentia, vel gubernatione, vel de libero hominis arbitrio, vel de peccato, semper sibi proponit explicandam concordiam liberi arbitrii hominum et divinæ operationis. Ergo S. Thomæ doctrina super hac re non est molinistarum, sed thomistarum. Ad evidentiam minoris nostræ oporteret Angelici Doctoris opera vel leviter percurre; verum satis erit, ut arbitrator, pauca recitare.

1. Part. I, cap. 2, n. 24. — 2. Pag. 44.

I p., q. 83, a. 1, sibi objicit 3<sup>o</sup>: « Liberum est quod sui causa est. Quod ergo movetur ab alio, non est liberum. Sed Deus movet voluntatem... Ergo homo non est liberi arbitrii. » Idem habetur q. 105, a. 4; q. 3 de *Potentia*, a. 7; q. 24 de *Verit.*, a. 1; q. 3 de *Malo*, a. 2; q. 6 *ibid.*, a. unico, etc... — Respondet: « Dicendum quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id quod liberum est, sicut nec ad hoc quod aliquid sit causa alterius, requiritur quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actiones sint naturales; ita, movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. » Idem docet *ibid.*, q. 105, a. 4, o; q. 3 de *Potentia*, a. 7, o; q. 24 de *Verit.*, a. 1, o; q. 3 de *Malo*, a. 2, o, et *ibid.*, q. 6, a. unico.

I<sup>a</sup> II<sup>a</sup>, q. 10, a. 4, objicitur 1<sup>o</sup>: « Omne agens cui resisti non potest, ex necessitate movet. Sed Deo, cum sit infinitæ virtutis, resisti non potest... Ergo Deus ex necessitate movet voluntatem. » Respondetur: « Dicendum quod voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moveretur libere, prout competit suæ naturæ. » Idem q. 6 de *Malo*, a. unico.

*Ibid.* objicitur 3<sup>o</sup>: « Possibile est, quo posito non sequitur impossibile. Sequitur autem impossibile, si ponatur quod voluntas non velit hoc ad quod Deus eam movet, quia secundum hoc operatio Dei esset inefficax. Non ergo est possibile voluntatem non velle hoc ad quod Deus eam movet. Ergo necesse est eam hoc velle. » Idem ubi supra. Respondetur: « Dicendum quod, si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur. Non tamen est impossibile

simpliciter. Unde non sequitur quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur. » Responsio supra citata Dominici Soto eandem doctrinam exprimit.

Q. 3 de *Potentia*, a. 7, objicitur 13<sup>o</sup>: « Voluntas est domina sui actus. Hoc autem non esset, si agere non posset nisi Deo in ipsa operante, cum voluntas nostra non sit domina divinæ operationis. Ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante. » Respondetur: « Dicendum quod voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam. Et ideo determinatio actus relinquatur in potestate rationis et voluntatis. » Idem I<sup>a</sup> p., q. 83, a. 1; q. 24 de *Verit.*, a. 1; q. 6 de *Malo*, a. unico.—Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causæ exterius agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, a qua est ejus esse et operari. Et sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus, seipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit. I *Contra gent.*, cap. 68.

Hic habes, ni fallor, et capita omnia argumentorum molinianorum in thomistas, et principia omnia solutionum thomistarum. Sunt igitur thomistæ veri S. Thomæ discipuli.—Velim notes diligenter quæ determinatio sit contraria libertati: non alia sane quam determinatio virtutis seu naturæ ad unum. Unde, quando Doctor Angelicus dicit voluntatem a Deo non determinari, hujusmodi locutio intelligenda est tantummodo de hac determinatione ad unum per modum naturæ. Sic enim S. Thomas sententiam suam explicat hic manifestissime, et ubi ait III *Contra gentes*, cap. 90: « Quod Damascenus dicit, quod ea quæ sunt in nobis Deus prænoscit, sed non prædeterminat, exponenda sunt ita ut intelligatur ea quæ sunt in nobis divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia. » — Nota etiam obiter quod supra dictum est, scilicet in quo Deus cognoscat actus

liberos. In nullo, nisi *in seipso*. Et quare? quia Deus est prima causa hujusmodi motuum. Hinc funditus evertitur scientia media.

Eodem moliniano argumento ostenditur Molinistas non esse Augustini discipulos. Nam in Hipponensem insurgentibus hæretici, quod liberum destrueret arbitrium. Unde et Prosperus ab eo petebat<sup>1</sup> ut explicaret, « quomodo per istam præoperantem et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. » Quis unquam a Molinae asseclis anxius hoc quæsit? Unde jure meritoque gloriatur Molina: « Quæ si data explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta; neque Lutherani tam imprudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divina gratia, præscientia et prædestinatione cohærere non posse; neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquæ illæ Pelagianorum in Gallia fuissent extinctæ, ut patet ex iis quibus homines illos cum catholicis convenisse, et ab eis dissensisse, epistolæ Prosperi et Hilarii testantur<sup>2</sup>. » Optime. Non est igitur eadem Augustini et Molinae sententia. Sua enim Molina se jactat contentos futuros fuisse Gallos. Non equidem contradico. Nam quomodo fuisset Augustini, cum Molina recantet « hanc nostram rationem conciliandi libertatem cum divina prædestinatione a nemine, quem viderim, hucusque traditam<sup>3</sup>. »

### 3<sup>o</sup> De thomistis antiquioribus

Congerunt Molinistæ textus e veteribus thomistis, quibus Bannesii doctrina reprobari videtur, vel etiam quædam dicuntur opposita thomistarum novorum dictis super controversiis de gratia. Omnia hæc utique fucum faciunt, et dubietatem inferre nata sunt incipientibus, vel iis qui

1. Inter epist. Aug. 225, de reliquiis pelagianæ hæreseos in Gallia. — 2. *Concordia*, q. 23, a. 4 et 5, disp. 1, memb. ult., pag. 548. Parisiis, Lethielleux, 1876. — 3. Pag. 550.

genuinum recitatorum verborum sensum habere non possunt. Ad hæc tamen in communi respondere sat est: 1<sup>o</sup> In vero thomismo plures super una re secundaria opiniones haberi possunt: unde nil mirum quod aliqui ex thomistis aliquas privatas Bannesii sententias reprobaverint. Non enim Bannesium ducem sequuntur, sed unum Thomam; Thomas in Bannesio, sicut et in cæteris, probandus est semper, quisquis vero a Thoma discedit, relinquendus. — 2<sup>o</sup> Non est cur mireris recentiores thomistas a veteribus in verbis discrepare. Ante enim quam super re quacumque ortæ fuerint controversiæ, non assolent theologi, vel etiam Patres, tam formaliter, ut ita dicam, et proprie loqui, ac significare quid sentiant. Exemplo sint Galli, qui Augustino non parvam querelam faciebant, quod multum aliter ac antiquiores scriptores loqueretur doceretque, imo vero sibimet ante Pelagii natam hæresim scribenti contradiceret. « Vetustate defendunt, scribit Prosperus, et ea quæ de Epistola Apostoli Pauli ad Romanos scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam ecclesiasticorum ita esse intellecta ut nunc sentiuntur, affirmant. » Similiter hæretici omnes, ab Ario usque ad Jansenistas, contra catholicæ fidei defensores argumentati sunt. Haud igitur inficiabor, tum veteres Thomæ discipulos terminis usos esse quandoque qui postea moliniani habiti sunt, proindeque in schola thomistica devitati ac reprobati; tum recentiores, exortis controversiis, quosdam formalissimos propriissimosque delegisse terminos ad doctrinam absque ulla obscuritate tergiversationeque exprimendam, atque etiam minus formalia, quæque in contrariam partem trahi poterant verba, cautissime, SS. Patrum et conciliorum instar, devitasse: indeque recentiores a veteribus differre posse videri. Verum unum est totius thomismi principium, illud nempe: « Omne quod movetur, ab alio movetur. » Conferantur ergo super hujus principii interpretatione veteres thomistæ cum recentioribus, omnibusque patebit evidentissime, unam esse Thomæ scholam ab initio usque nunc, sensu convenire omnes in necessariis, licet verbis quan-

doque discrepare videantur<sup>1</sup>. Hæc respondebat Augustinus Gallis ad antiquos provocantibus : « Quid opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari; quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogentur? Unde factum est ut de gratia Dei quid sentirent breviter et transeunter attigerint, immorarentur vero in eis, quæ adversus alios Ecclesiæ inimicos disputabant. » Et alibi dicit quod veteres Patres semper principia professi sunt quibus ipse nunc veram catholicamque de prædestinatione et gratia doctrinam sustinet : quod utique plane sufficere debet.

6<sup>o</sup> De nova metaphysica moliniana.

Molinianus author operis *Bannez et Molina* hæc habet : « Fateor mihi difficillimum esse admittere quod secundum S. Thomam divina cooperatio non sit aliud quam concursus simultaneus. In hac etiam re Dominicani in Jesuitas causam obtinebant, textus afferendo quibus Doctor Angelicus docet divinam motionem in causa secunda recipi<sup>2</sup>. » — « Quacumque ratione exponatur concursus simultaneus, subtilissimæ metaphysicæ argumentis impugnatur. Cæteroque mero concursu ad effectum vel actionem explicari minime possunt textus omnes quibus S. Thomas docet ipsammet causam secundam a Deo moveri. Hæc est molinianæ opinionis infirmitas<sup>3</sup>. » — « Quæ quidem difficultas metaphysica adversus concursum simultaneum, mea sententia, vere gravis est; unde, cum eam S. Thomas non viderit, consequens est illum non posuisse divinam operationem in creaturis sicut posuerunt fautores concursus simultanei<sup>4</sup>. » — Igitur concursus Molinæ Suaresiique tum metaphysicæ tum thomis-

1. Cfr. Cajetanum, in 1<sup>am</sup> p., q. 2, a. 3; Ferrariensem, in III *Contra gentes*, cap. 6 seqq. Hi sunt clarissimi interpretes, uti scripsit Leo XIII ad card. de Luca. — 2. Pag. 13. — 3. Pag. 171. — 4. Pag. 172.

ticæ doctrinæ est oppositus. At dicat nobis molinianus iste quid S. Thomas revera doceat : « Divina operatio, ut causæ secundæ agant, inquit, non est concursus quidam receptus solummodo in effectu, minime vero in causa, ut docet schola Suaresiana. Vere motio est ipsius causæ secundæ, qua mediante, causa prima attingit effectum... Equidem præmotionis physicæ nomen non fero, quia verba hæc in thomistica lingua perverse accipiuntur. Attamen, meo sensu, si quis velit doctrinam Thomæ sequi, oportet legat causam secundam a prima realiter moveri, quemdamque Dei influxum in secunda causa recipi prius quam attingat effectum<sup>1</sup>. » — « Sive consideretur actio causæ secundæ, sine consideretur effectus, divina operatio est necessaria, ratione prior; (nam in ordine causarum efficientium causa præcedit effectum ad minus ratione<sup>2</sup>,) entitative principalior; causa vero secunda non est nisi cooperatrix subordinata, mota, solummodo determinans et specificans effectum, cujus substantia est a causa prima<sup>3</sup>. » — His manifestum est quod molinianus iste, dum præmotionis nomen repudiat, rem tamen admittere et a S. Thoma recipere videtur. Quare autem nomen rejiciat, videndum est. « Ratio præmotionis thomistarum, inquit; est ut determinet causam secundam indeterminatam. Porro, juxta S. Thomæ principia, motio causæ primæ a causa secunda determinari indiget, nedum determinet ipsa<sup>4</sup>. » Nemo est inter thomisticos tyrones qui præjudicium hoc remove non valeat. Nam sæpissime dicit S. Thomas « causæ primæ influentiam per causam proximam determinari et specificari, » in hoc sensu nempe, quod Deus operatur in unoquoque secundum ejus naturam et modum, in naturalibus causis necessario, in voluntariis libere, intellectionem cum intellectu, volitionem cum voluntate : « et ideo, inquit S. Doctor, similitudinem causæ proximæ imitatur effectus. » Porro Dei motionem sic a causis secundis determinari, passive aut receptive, ut ita dicam, thomistæ proclamant, cum hac præsertim ratione

1. Pag. 178. — 2. Pag. 327. — 3. Pag. 185. — 4. Pag. 181.

demonstrent liberum arbitrium a Deo non impediri, sed perfici, dum movetur. Vera est indifferentia seu indeterminatio causarum secundarum, quæ est ad exercitium, dum sunt in actu primo seu potentia, ut dicitur; eaque ut tollatur, cum nullum ens transire possit de potentia in actum, nisi per aliquod ens in actu, necessaria est causæ primæ in causis secundis intima, efficax, naturaque prævia, ut patet, motio. In hoc sensu tantum Thomistæ ponunt, duce Angelico, secundas causas efficaciter a Deo determinari, imo prædeterminari, cum impossibile sit huic positioni quod causa secunda non moveatur, semperque motio moventis præcedat motum mobilis ratione et causa, ut ipse ait idem Doctor. Non ergo pugnant contra Thomam thomistæ. Verum est enim quod divina motio determinat et determinatur secundum rationes diversas.

Ex his videri posset quod Molinianus iste ponit nos a Deo physice præmoveri ad liberos actus. At conclusionem illam necessariam, præter omnium expectationem, mira fuga vitat. Utique, inquit, « si quod ens a cæteris entitative distinctum est, oportet illud esse a causa prima immediate: consequentia valet, ideoque thomismus logicus est<sup>1</sup>. » — « Apud thomistas, actus indeliberatus et actus deliberatus sunt duo actus successivi, distincti, entitative diversi... Unde sequitur *ly consentire* esse immediate a primo movente. Apud nos autem *ly consentire* vel *ly dissentire* non addit aliquid reale, physicum. Actus indeliberatus non differt physice ab actu deliberato. Unde sequitur necesse non esse quod *ly consentire* efficiatur specialiter a primo movente<sup>2</sup>. » — Reapse quid facilius et aptius ad subtilem thomistarum metaphysicam rigorosamque logicam evitandam, quam negare quod actus liber sit aliquod ens reale atque distinctum in natura? Non diffiteor hoc esse medium aptissimum; an vero thomisticum, philosophicum? Pronuntient vel ipsi Molinistæ, qui « nimis, eheu! realem distinctionem inter potentiam et actum ejus posuerunt, qua latus apertum thomistis exponebant<sup>3</sup>. »

1. Pag. 174. — 2. Pag. 214. — 3. Pag. 170.

Non puto diutius in ista opinione confutanda immorandum esse. Nam philosophi theologique omnes clamant cum S. Thoma, 1<sup>a</sup> p., q. 83, a. 4, ad 2: « Electio (hic est actus deliberatus) et voluntas, id est ipsum velle (hic est actus indeliberatus) sunt diversi actus, sicut etiam intelligere et ratiocinari. »

7<sup>o</sup> De famosissima responsione

I<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, q. 9, a. 6, ad 3.

Ex qua inferunt Molinistæ quod, secundum S. Thomam, divina motio non determinat voluntatem ad hoc vel ad illud.

Hoc in loco sibi objicit S. Thomas 3<sup>o</sup>: « Deus non est causa nisi bonorum... Si ergo a solo Deo voluntas hominis moveretur, nunquam moveretur ad malum. » Respondet: « Dicendum quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicitur, q. 109 et 112. »

Molinianam illationem esse contra mentem S. Thomæ, manifestissimum est: 1<sup>o</sup> Ex ipsius responsionis conclusione. Dicitur enim Deus aliquos movere per gratiam ad aliquid determinate. Ergo aliqua Dei motio est ad hoc vel ad illud. — 2<sup>o</sup> Ex motione Dei ad actum peccati. 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 79, arg. *Sed contra*: « Actus peccati est quidam motus liberi arbitrii. Sed voluntas Dei est causa omnium motionum... Ergo voluntas Dei est causa actus peccati. » Ibid., in corp.: « Actus peccati est ens et est actus, et ex utroque habet quod sit a Deo. Omne enim ens, quocumque modo sit, oportet quod derivetur a primo ente... Deus etiam est causa omnis actionis, in quantum est actio<sup>1</sup>. » Ergo Deus

1. Idem docet q. 3 *de Malo*.